



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]**

**Baldi, Camillo**

**[Bononiae], 1629**

Vnguium, ex figuris significaciones. [Cap. XVII.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13286**

stitutus necesse est, non sentiat, mulieres huiusmodi vngues habentes in extremo corneas cum pallore, animaduertunt superbas, auaras, imperiosas, plus nimio sibi indulgentes quam oporteat.

*Vnguium figura ac dispositiones præter colores.*

Cap. X V I I.

**V**nguium figuram voco terminum, quo illi terminantur; figuras cognoscit oculus, quatenus coloratae sunt, incurui vngues, & præsertim si magni sunt, ex siccarendines, & totum corpus ad marcorem, atque Hecticam febrem inclinare monstrant, prouique sunt etiam, qui hos habent vngues ad tabem, quoniam accidit catarrhum falsum acrem, & subtilem in subiectos deriuari pulmones, & exulcerare, inde sequitur febris spiritus, humores naturales, & ossa etiam consumens; vitæ igitur breuis indicia sunt; At si naturale humidum non multum fuerit viscidum tamen, (quod durities vnguium ostendit,) & ficcius cerebrum erit, & homo, qui hæc signa habebit, vt plurimum, erit durus, indisciplinabilis, turbidus, seditiosus, crudelis, maxime iracundus, sagax tamen; videmus enim insecta quæ frigida, & sicca sunt sagacitatem, & astutiam non paucam habere, quod autem sint frigida, hinc colligitur, quod & hyeme vel latent, vel moriuntur, & valde sunt meticulosa; at quoniam præter se ipsos, neminem amant homines isti (siccum enim proprio termino terminatur, & nulli adhæret;) accidit vt sint infideles, auari, & ad Venerem quamcunque propensi; At si caloris pars siccitati accedat, cum amicis rixantur, illisque insultare gaudent, calidi enim, & sicci hoc est, proprium, vt alijs super extare velit; quod in igne conspicitur satis. Et quoniam auari, & parum alios curantes, ideo ludorum amatores sunt, & aleatores, vt potè, qui præ lucro iustitiam non curant; In locis publicis; quoniam taciturni sunt, videtur modesti, tacent autem,

quo-



quoniam sicci sunt; & turbidi neque facile illis succurrit quod dicant, quoniam illorum cerebrum, non facile omnes imaginationes, quantumvis graues admittit; Ex aduerso quod facile recipit omnia, quamuis leuia simulachra cerebrum, causa est garrulitatis, Modesti igitur isti videntur publice, priuatim intolerabiles, acerbi, & domesticis inuisi. Et quoniam cum auaritia iunctam habent ambitionem si calidum, & siccum esse contigerit cerebrum illi etiam præambitione munera superioribus offerent; expensas magnas aliquando facient, & quod profuse proiecerint, idem insolenter ab inferioribus, & iniuste reperent, hos appellant prodigos compositos, qui rapiunt, quod & à quibus non debent, deinde dant profuse, & quod, & quibus non debent; Caluos fieri cito probabile est, & canos, & macros esse. Hos eosdem tales habentes vngues chyromantici vocant latrones, & pyratas, & qui violenta morte tandem pereant.

At si recurui fuerint, (quamuis de his etiam supra non nihil dictum sit) hoc est ad superiorem partem inclinati, & corpus indicant debile, & ad conuulsiones dispositum, animum rudem, & ad artes ac doctrinas ineptum, obliuiosum; credulum, nam falso, & aquoso humore corpora hæc abundare solent; vellicat falsedo, vellicata contrahuntur cartilagine, & membranæ, quæ si cerebro communicetur, fit ea (quam vocant conuulsionem) morbi species, humore laxantur articulorum ligamenta, & falsedine siccante contrahuntur tendines, & sic sursum reuelluntur vngues. Si plani fuerint, & tactui molles, & quandam laxitatem præferentes, sanguinem, & pituitam prædominari diximus, quare cui hæc caderunt probabile est, futurum virum placidum, ciuilem, bonum, domesticum, affabilem, & liberalem, non tamen valde robustum, neque longioris vitæ, & qui sua curet, aliena non affectet, paucis qui sit contentus, non auaritia, non ambitione torqueatur; talis tamen qui etiam rationem habeat existimationis propriæ, & vir bonus haberi velit; referuntur ad aues palustres, quas plani pedes appellat;



Et si cum planitie vnguis iunctus fuerit pallor quidam sub-  
lucidus, id indicat praualeare pituitam sanguini, & magis  
letiam bili; Pituitosus hic est habitus, quem per sæpe se-  
quitur somnolentia, & stupiditas quædam, & tarditas in  
motu, in operationibus, & resolutionibus, quæ grauiter ple-  
rumque offendat eos, cum quibus acturus est; Plani in mu-  
lieribus vngues, & parui, & molles aiunt manuum inspecto-  
res futuras suis maritis fideles, & multorum filiorum ma-  
tres, sed qui orientur nullius pretij erunt homines, impudi-  
ci, & impuris amoribus dediti; Et si filias pepererint, quæ  
nasum habuerint simum, adulteræ, & meretrices omni im-  
pudicitia insignes, & nobiles erunt; & longè etiam peiores  
si labra crassa, & frontem paruum, & strictam habuerint hæc  
illi, sed rationem non afferunt.

*Vngues pulchri nodosi, & alijs figuris insigniti.*

Cap. X V I I I.

**P**ulchritudinem, & turpitudinem species figuræ vocat  
Aristoteles. Vngues pulchros dicimus eos, qui ma-  
xime sunt secundum naturam, & quo ad substantiam, &  
qualitatem, & quantitatem; & si pulchri sunt vngues, parui,  
& politi apparent, & visum quodammodo delectant; Con-  
trario modo affecti sunt, qui vocantur turpes, peccant enim  
& in substantia, & in qualitate, & quantitate; Neque virum  
ciuilem decent, vngues illi longi, aut pleni forditie; si igitur  
pulchri sunt, homo est bono præditus temperamento, ad ca-  
lorem, & humorem proportionatum accedens, quare & san-  
guineam possidens temperiem; propensiones igitur quæ  
sanguinem dominantem sequuntur in hoc erunt homine,  
benignus, & affabilis apparebit; ad amandum, & benefa-  
ciendum propensus; liberalis, & mansuetus, sed garrulus,  
& qui quandoque sibi plus iusto placeat, & ad palpandum,  
laudandum, & adulandum etiam plus æquo procliuus. Tur-  
pes vngues turpem cerebri substantiam, & male tempera-  
tam